

Diversarum hominum provinciarum cuiuslibet sexus condicionis actatis, quos barbarica feritas captiva necessitate transvexerat, invitatos nemo retineat, sed ad propria redire cupientibus libera sit facultas.

1 ¶ Quibus si quicquam in usum vestium vel alimoniae impensum est, humanitati sit praestitum nec maneat virtualis sumptus repetitio: exceptis his, quos barbaris vendentibus emptos esse docebitur, a quibus status sui pretium propter utilitatem publicam emporibus aequum est redhiberi.

2 ¶ Ne quando enim damni consideratio in tali necessitate positis negari faciat emptionem, decet redemptos aut datum pro se pretium emporibus restituere aut laboris obsequio vel opere quinquennii vicem referre beneficii, habituros incolumem, si in ea nati sunt, libertatem.

3 ¶ Reddantur igitur sedibus propriis sub moderatione qua iussimus, quibus iure postliminii etiam veterum responsis incolumia cuncta servanda sunt.

4 (1) ¶ Si quis itaque huic praecepto fuerit conatus obsistere actor conductor procuratorque, dari se metallis cum poena deportationis non ambiget: si vero possessionis dominus, rem suam fisco noverit vindicandam seque deportandum.

5 ¶ Et ut facilis executio proveniat, Christianos proximorum locorum volumus huius rei sollicitudinem gerere. Curiales quoque proximarum civitatum placuit admoneri, ut emergentibus talibus causis sciant legis nostrae auxilium deferendum: ita ut noverint rectores universi decem libras auri a se et tantundem a suis apparitoribus exigendum, si praeceptum neglexerint.

*D. IV id. Dec. Ravennae Honorio VIII et Theodosio III AA. consss. [a. 409]*